



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 80. Cæsarei Gallique prorogandæ Sessionis spe frustrati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

que necessarium: equidem Concilia au-  
 reis illis sæculis celebrata non raro ab  
 ipso eorum exordio etiam coram Im-  
 peratoribus, qui tum temporis erant  
 potentissimi, contentionibus, ac discor-  
 diis notabantur, quæ tamen Spiritus  
 Sancti auspiciis in admirabilem concor-  
 diam se mutarunt: nam acres fuerunt  
 in Concilio Nicæno, prout etiam Ephe-  
 sino contentiones, idcirco mirum videri  
 non debet, si in Tridentina Synodo oc-  
 currant nonnunquam inter Patres opi-  
 niones diversæ, Deo omnia permittente,  
 qui potens est Concilia ad suam gloriam  
 regere, animosque omnium in nomine  
 suo congregatorum ad libitum mode-  
 rari. Cardinalis Mantuanus hanc sui  
 focii sententiam probabat, rejecta a-  
 gendi ratione, quam olim Crescentius  
 tenuerat: addebat nihilominus, quod  
 Synodi libertati minime derogaretur, si  
 abusus Decretis corrigantur, atque  
 Ordo, tempusque loquendi præscriba-  
 tur, sua cuique parte tributa: id quo-  
 que placuit Hosio, atque inter ambos  
 convenit, ut Sessione peracta hac de  
 re decretum conderetur.

§. LXXX.

*Cæsarei, Gallique prorogandæ Sessio-  
 nis spe frustrati*

Die decima quarta Julii matutino tem-  
 pore habebatur congregatio, at-

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1562.

*Tarpins l. c.*

L 2

que

**Sæcul. XVI.** que in ea omnia referebantur, quæ Pa-  
**A.C. 1562.** tres ad conficienda doctrinæ, atque  
 emendationis decreta hucusque contu-  
 lerant: cum autem Cæsarei æque, ac  
 Galli Calicis usum obtinendi spe exci-  
 derent, nullum non movebant lapidem,  
 quatenus saltem Patres eo inducerent,  
 nequid in Sessione biduo post ha-  
 benda decideretur, sed omnia ad pro-  
 ximam Sessionem remitterentur, prout  
 jam bina vice factum fuerat. Horum  
 consilio etiam suffragabatur Granaten-  
 sis Archiepiscopus, qui habita oratione  
 Legatos obtestabatur, ut dignitate rei,  
 de qua agitur, perspecta Sessionem  
 prorogarent: insuper eis ostendit, quot,  
 quantæque difficultates necessariæ ad-  
 huc decidendæ superessent: Verum  
 Legati neglectis hisce rationibus res  
 propositas ad exitum deducere statue-  
 bant, ut in proxima Sessione quatuor  
 illa Doctrinæ capita, ac totidem Cano-  
 nes, & novem Reformationis capita  
 promulgare possent: itaque initium du-  
 cebant a doctrinæ articulis, in quorum  
 primo ostendebatur, quod textus pro  
 communionem sub utraque specie nuper  
**ex Sacris** literis allati nullatenus illius  
 necessitatem comprobent: quam in rem  
 plura testimonia ex Christi Domini ver-  
 bis Joannis capite sexto relatis profe-  
 runt, ubi Salvator noster nullo di-  
 scrimi-

scrimine facto quandoque de debita carnem suam manducandi, simulque sanguinem suum bibendi necessitate, quandoque autem de sola Corporis sui manducatione loquebatur, ex quo probatur, quod hoc postremum sufficiat.

Sæc. XVI.  
A.C. 1562.

§. LXXXI.

*Controversia circa explicationem verborum ex capite sexto S. Joannis relatorum.*

Huic sententiæ Granatensis Archiepiscopus eadem opponebat, quæ jam antea Jacobus Maria Sala Vivariensis Episcopus objectabat, hæc asserens:

*Pall. cap. II. n. 3. & 4. Sarpus pag. 518.*

„in eo capite S. Joannis intelligitur a multis Patribus non esus, & potus sacramentalis, sed spiritualis, carnis & Sanguinis Christi, seu fides sub alimenti metaphora, proinde contraria interpretatio non est a Concilio statuenda. Postea allegabat S. Augustini testimonium unacum tot aliis argumentis, ut ea discuti haud possent intra biduum, quantum scilicet erat temporis usque ad præstitutam Sessionem, quocirca Cardinalem Seripandum, qui huic peculiari cœtui Præses aderat, ingens incessit metus, ne Sessionis differendæ prætextus quæreretur: quinimo eundem quoque subiit suspicio, ne il-

L 3 lam